SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

Sacrorum Epigrammatum OCTERNIO PRIMUS.

NOBILI, PIETATIS ET MODEstiæ dote decoro, ANDREÆ CHRISTIANO, filio Nobiliss. & Amplissimi viri D. HIERONYMI MOSCOROVII, fautoris mei honorandi, consecratus.

Ad Lectorem.

Hoc succisivo conscriptum tempore Carmen,
Quod nunc victuris tradimus ecce typis;
Delectare nequit venæ bonitate legentem,
Confiteor; sterilis namque Camœna mea est.
At quia Materiæ bonitas commendat id ipsum,
Auribus est dignum, Lector amande, tuis.
THESAURUS QVAMQVAM TURPI CONDATUR IN OLLA,
DE PRETIO AMITTIT NIL TAMEN ILLE SUO.

Impressa Racoviæ.



JUVENI NOBILI

ANDREÆ CHRISTIANO MOSCOROVIO, Salutem.

PRælegente tibi, Andrea Adoleſcentule ſuaviſſime, doctiſſimo Parente tuo, Magnifico Domino Hieronymo Moſcorovio, Scientiam benè dicendi, quam Græcè Rhetoricen nuncupant; ad quam ille more & methodo Ramæâ, eam quæ eſt de pedibus, numeris, & verſuum generibus, cognitionem, ut meminiſti, retulit, eamq́ue tibi tunc, me præſente, primis, quod ajunt, deguſtãdam labiis præbuit: Cœpi ſtatim cogitare de cõficiendis paucis quibusdam Epigrammatis in tui gratiam: nõ tàm eam ob cauſſam, ut te ad hanc ſcientiæ partem, quam ſemper doctiſſimi quique cum aliis artib⁹, à prima ætate, conjungebant, adjuvarem, (hoc enim aliunde felicius petere potes) quàm ut te ad ſtudium iſtud hac quoque ratione, ſi poſſem, quodãmodo pellicerem, incitaremq́ue, ac ſimul etiam unâeademq́ue operâ, cum amorem erga te meum ſingularem, Juvenem jam ſanè perquàm optimæ ſpei, oſtenderem; tùm verò ut grati animi mei verſùs Parẽtem tuum dulciſſimum, Mecænatem meum colendiſſimum, vel hoc modo aliquam ſignificationem darem. Accipe igitur nunc primum hunc Carminum Sacrorum octernionem, eo quo tibi a me offertur animo, & me tui amantem, quo hucuſque me ſemper proſequi viſus es, amore complecti perge. Deus tibi, ſtudiisq́ue tuis abundè benedicat, ad divini ſui nominis gloriam, Eccleſiæ Chriſtianæ emolumentum, & Tuorum ingens ornamentum. In agro Czarkoviano. 20. Septemb. ANNO DOMINI 1609.

SIMON PISTORIUS



SACRORUM EPIGRAMMATUM

Octernio Primus Simonis Pistorii O. S.

Quis CHRISTO dignus. Matt: 10.

IS demùm dignus CHristo est, ævoq; futuro,
Is demùm summi dignus amore Dei est;
Qui, quàm se, Christum, atq; suos, plus diligit omnes,
Nec vitam, Christi pluris honore facit;
Pro Christo, eventum, sortemq; paratus ad omnem,
Non dubitat diras Mortis adire cruces.
Sedulus ad sanctam Christi qui denique Vitam,
Componit mores semper ubique suos.
Is demùm dignus Christo est, ævoque futuro,
Is demùm veri dignus amore Dei est.

Oratio omnipotens. Matt: 15.

Cælorum Domino nil Christo majus habetur,
Et tamen hunc Dominum vincere Vota valent.
Ergò quid utilius Votis, quid majus in Orbe est?
His cupiam semper fortior esse Deo.

Nihil absconditum quod non manifestetur. Mar: 4.

Ne clàm designes facinus, quod luce profundâ
Designare, tibi sit rubor, atque dolor.
Omnia nam tamdem tempus secreta revelat,
Recludit vindex & cooperta Deus.
Prudens & felix, cui mens est conscia recti,
Quæ facit, & Iovâ non nisi recte facit.

Conditio, & præmium Miniſtrorum. Mat. 6.

Qui ſacra conſcendit docturus pulpita Paſtor,
Hæc ſemper memori præmia mente gerat:
Probra, odium, triſtem diro cum carcere Mortem:
Denique, quod morte eſt triſtius, exilium.
Heu mihi! ſub Mundo quis tàm malè Præco mereret,
Si non in Cœlis præmia magna forent?

CHRISTIANI præferendi cognatis. Luc: 8.

Cognatis caris, quòd mellitæque Parenti
Præfers diſcipulos, optime Chriſte, tuos;
Nobis dilectis impenſiùs eſse Propinquis
Flagrandos Fratres, hac ratione doces.
Et certè ratio eſt, fieri cur faśque, piumq́ue,
Id ſit in hoc noſtro, Chriſte, Sodalitio.
Cœleſtes Animæ ſunt hîc, & Corda renata,
Iſthic Mundana eſt & Genitura vetus.
Spiritus hîc tuus eſt, arctiſſima copula fratrum,
Illic Carnalis nec diuturnus amor.
Hæredes hîc ſunt, & pignora cara Iehovæ,
Illic hæredes Mortis & interitûs.
Hoc igitur ritu quicunque es de Grege Chriſti,
Cognatis Fratres pluris habere ſtude.

Omnia ingrata. Luc: 11,

Non imitanda licet fecit Miracula Chriſtus,
Tutus ab invidia non tamen ille fuit.
Hæc etiam nunc eſt Mundi natura maligni,
Non homines odio ceſsat habere bonos.

Cuncta licet facias, licet utilis eße labores
Omnibus, heu! referes præmia nulla tamen.
Felix qui mala fert, ingrataque cuncta reportat,
Ille tamen numquam desinit esse bonus!

Nuptiæ in Arundineto. Ioh. 2.

Christus, Arundineis Conviva benignus in oris,
Perjucunda meras in mera vertit aquas.
Nunc quoque in his Cannis fragilem ne desere Sponsam,
Christe, sed ablatis fontibus, adde merum.

Matrimonium, Christi & Ecclesiæ typus. Eph. 5.

Christe, probè exprimitur Socialis imagine tædæ,
Qui Tibi Nobiscum est, Fœderis acer amor.
Namque duo coëunt juncturâ mentis ut illi,
Ac amor est illis unus, & una Caro:
Sic etiam tecum Tu Nos conjungis, & unum
Fœderis æterno Corpus amore facis.
Vtque suum Conjunx Vxorem nutrit & ornat;
Tu quoque Nos ornas dotibus, atque foves.
Denique ceu veris una est poßeßio Sponsis,
Nec clamant; meus est hic ager, ille tuus:
Sic Nos hæredes fecisti Patris in Axe,
Atque cohæredes, optime Christe, tuos.
Felix qui nunc est hoc glutine junctus amoris
Christe Tibi! felix quem tuus urit amor!

Non est Discipulus supra Magistrum. Matt. 10.

Doctrinâ verax, & Crimine purus ab omni,
Quàm malè, Christe, probus tu laceratus eras!

Et nos horremus Convicia crimine fœdi,
Tractari & volumus molliter, hoſte procul.
Heu mihi! non æquum eſt, ut ſit fortuna Miniſtri
Hoc ævi melior tempore, pejor Heri.

Tentator. Mar:1.

A Stygio noſter tentatur Dæmone Chriſtus,
Sed fruſtra: ad Verbum nil valuêre doli.
Qui volet hoc etiam de Tentatore triumphum
Ducere, Scripturâ pugnet & ille ſacrâ.

Mulier prœliatrix vincens Chriſtum. Mar. 7.

Viribus invictum quàm Chriſtum vincere poſſe,
Vlla nec eſt gravior pugna, nec eſt melior.
At quibus hic telis fuerit vincendus, & armis,
Exemplo Mulier ſit Cananæa tibi.
Hæc illum inclamat: fer opem, miſerere; ſed ille
Ardentes ſurdâ præterit aure preces.
Tùm quò rejicitur magis, hoc ardentiùs inſtans
Clamat, & eſt conſtans in prece, plena fide.
Denique more Canis cupidi, cui liba negantur,
Arcetur quamvis a bonitate Dei:
Non tamen idcircò deſperat paſſa repulſam,
Aut, pugnare fide fœmina docta, cadit.
Sed quibus impetitur, prudenter protinus illa
Vertit in Autorem tela retorta ſuum.
Eſt ita: ſum Canis, inquit, & iſto nomine ſi quid
Naturâ in rerum vilius eſſe poteſt.
Pane ciba Natos, ſed micam, quæ perit, inde
Si dederis Canibus, ſufficit illa, tuis.

Hac invicta Fide vincentem singula Christum
Femina devicit, atque petita tulit.
His animi telis, sic Christum vincere disce,
Námque aliter vinci non valet iste Deus!

Diabolus inter duodecim. Ioh: 6,

I*nter tam paucos, olim quos Christus habebat*
Discipulos, Sathanæ mancipium unus erat.
Qui data communem clàm surripiebat in Arcam,
Qui pretio Dominum vendidit, & periit.
Ergò quid mirum est, inter tot millia Christi,
Discipulos etiam nunc superesse malos!
Donec Oves olidis secernat Christus ab Hircis,
Mixta Viris fiet pessima Turba bonis.

Christus ambulans super aquas. Matt. 14.

V*trum sit majus, pedibus calcare Profundum,*
Illud an in partes dissoluisse duas,
Dicere difficilè est: facinus namque istud & illud
Grande; sed est majus forsitan hocce prius.
Id certè fecit; calcavit littora Christus:
Fecit idem Christo deinde jubente Petrus.
Si tantùm potuit, si tanta potentia Christi
Tunc erat, hoc septus pulvere quando fuit;
Nunc immortali donatus Corpore, quantò
Et plus in Terris, & super Astra potest?
Interit haut ergo, Christo quicunque cohæret.
Quantumvis Pontus, Terra, Polusque ruant.

Christus in navi. Mat: 8.

Pluribus est subjecta quidem Scapha parva periclis,
Tuta tamen Christo pervigilante fuit.
Non trepido, sonet Aura licet, fremat Orbis & Orcus,
Iste gubernator si Palinurus adest!

Christus & inter Hostes. Luc: 2.

Primus ab undecimo Christi modò cœperat annus,
Cùm summâ claros vicit in arte Viros.
Et quamquam errorum plenissima cuncta fuêre,
In medio Templi sederat ipse sui.
Quid mirum, Si nunc Inimicos vincere doctos,
Pontificesque potest inter habere locum!

Pastor & Mercenarius Ioh: 10.

Pastor amans Ovium est; sed Mercenarius omnis
Plus amat externas desidiosus opes.
Declinare nequit vel aperta pericula Pastor;
At mox infestis terga dat Ille Lupis.
Ne nos conducti solâ mercede Ministri
Pascant, Pastores suffice, Christe, bonos!

Christus humilitatis exemplar. Iohan: 13.

Par aliis cum sis naturâ vilis homullus,
Fortunæ tantùm conditione tumes;
Hà! miseros spernis, tantillùm non facis omnes,
Quàm servire ulli, vis dominari aliis.
Quid faciat rerum Dominus quin inspice Christus,
Sordidulos hominum ceu lavat ipse pedes!

Nec tantùm facit hoc, sed caußâ postmodò nostri
Ponere caram Animam deputat eße decus.
Tanta ministrandi mens Nobis, tanta cupido
Illi inerat, Nostri denique tantus amor!
Pone supercilium demens! sic itur ad Astra;
At tumidos Orcus, Mortaque dura manet.

Maximè amans quis. Luc: 7.

Si dimißa cui sunt gratis debita plura,
Plus Benefactorem debet amare suum;
Qui condonavit mihi debita maxima, nónne
Impensè Christum debeo amare meum?
Improbus est, si quis verbis modò diligit, a me
Non Verbis, sed Re, Christe, ut amêre, volo.

Non dans, sed dantis animus. Mar: 12.

Plurima contribuunt Opulenti, pauper in Arcam
Æra minuta duo Femina sola dedit.
Quis putet hoc verum! tamen hi, quàm femina pauper,
Judicio Christi, contribuêre minus.
Caußa, quòd hi rerum tribuêre superflua tantùm,
Illa suum reliquum, quod dedit, omne dedit.
Scilicet haud dantem, qui vel dare maxima possit,
Sed mentem dantis respicit ipse Deus.

Vetus Adam exuendus. Matt: 18.

Vis fieri salvus, Cœlo vis aptus haberi?
Hac fieri meliùs non ratione potes,
Quàm si coneris veteres deponere mores,
Atque mali affectûs pectore quicquid habes.

Obſcœnos, tumidos, non hæc capit Aula, malosq́ue:
Qui ſibi luctando vim facit, ille ſapit.

Haut tutus a Mundo verè Pius. Ioh: 15.

Nec pateris, nec Te Mundus vaniſſimus odit,
Nec Te perſequitur, nec miſer eße potes.
Te tamen eße negas Mundanum moribus iſtis,
Te ſervum Chriſti dicis & eße Pium.
Credo, ſed admiror, vixq́ue hoc Ego ſpero futurum,
A Mundo eſſe queam tutus, & eſſe pius.

De Deo colloquendum. Luc. 24.

Diſcipuli, Domini dùm de Cruce fortè loquuntur,
Non agnoſcendo corpore Chriſtus adeſt.
His vatum prædicta refert, mentemq́ue recludit,
Sicq́ue a Diſcipulis Cognitus ille fuit.
Vt Tibi ſit præſtò Chriſtus, fac ſancta loquaris
Verba, abigunt Numen, turpia verba, Dei.
Tuq́ue meos ſenſus, Flatûs & lumine Verbi,
Vt te cognoſcam, Chriſte, reclude precor.

Protomartyr. Actu: 7.

Dùm caußam Chriſti defendit Numine plenus,
Audaciq́ue malos arguit ore Viros,
Heu! denſo Stephanus lapidum ſuper obrutus imbre
Horriſono primus funere Martyr obit.
Felix at Chriſtum Conſtanti voce profeßus,
Qui ſummum tali clauſit agone diem!

Fortis Armatus. Matt: 12.

Qui validus Iovæ poßederat Atria Latro,
Nunc vi, Chriſte, tuâ, cogitur ire foràs.

Cogitur ire foràs equidem, verùm omnia tentat,
Vt rursus notum Limen adire queat.
Ne quando ille Dei perrumpere possit in Ædes,
Ante fores custos alma sit Aura precor!

Ambitio. Matt: 20.

Quàm servire aliis, dominari malumus omnes,
Turbaque Mortales ambitiosa sumus.
Christe, sed hoc vitium Generis, mitissime, nostri
Elue, converso pectore, namque potes.
Nos ut præcipuè simus servire parati,
Serva Servitii qui tua turba sumus.
Heu mihi! sunt Mundi Domini, non, Christe, Ministri,
Pontificum qui nunc Atria magna colunt.

Christus linum fumigans, non extingvit. Ioh: 20.

Arguitur præsens male-firmo pectore Thomas,
Cujus tarda fides, atque pusilla fuit.
Quid non, Christe, potes! Subitò mutatus ab illo
Clamat, io, Dominus Tu meus, & Deus es.
O mea parva Fides flammas erumpat in istas,
Tequé meum Dominum, Christe, Deumque vocem.

Deus superbis resistit. Actu. 12.

Et solio Herodes, & majestate superbus,
Qui populo fuerat nunc perhibente Deus,
Infelix subitò grave-olens, & turpe cadaver,
Vt jacet, Angelicâ percutiente manu!
Quòd sibi tàm vecors in tanto indulsit honore,
Debuerat summo quem tribuiße Deo.

Sit cautus, magnos quisquis conſcendit honores,
Et ſciat ultorem poſt caput eſſe Deum.

Cum Chriſto omnia jucunda. Ioh. 16.

Diſcipuli luctu prope conficiuntur amaro,
Quando tuo aſpectu, maxime Chriſte, carent.
Lætitiâ rurſus perfuſi perpete gaudent,
Quando tuos vultus, oraque grata vident.
O Chriſte! adſpectu ne te quoque ſubtrahe noſtro:
Æternus ſine Te Pectora mæror habet.

Reatus effundentium innocentem ſangvinem. Matt: 23.

Innocuos homines quicunque furore nefando
Interimit, tantum contrahit ille nefas,
Oceanus quantum magnus non abluat ipſe,
Ipſa ſuâ vel non ultima Thetis aquâ.
Sacrilego tantum ſceleris nam ſuſcipit auſu,
Quantum vix majus ſuſcipi & eſſe poteſt.
O infelices, quos jam tenet iſte reatus!
Felices quorum ſangvine dextra caret!

Major quis. Mar: 9.

Ille ipſis major mihi Regibus eße videtur,
Magnanimos etiam vel ſuperare Duces;
Vim quicunque ſuis faciens affectibus, Ipſe
De ſeſe Victor læta tropæa tulit.
Nam vacuo affectis, ſummaque quiete fruenti,
Se ſimilem in cœlis ſentiet eße Deo.

Talen-

Talentum. Matt. 25.

Hinc Christus peregrè abscendens, & in alta profectus
Sidera, Servorum cuique talenta dedit.
Non uno verùm numero illa, nec omnibus æquè,
Vt libuit cuivis, plúsve minúsve dedit.
Vsibus assiduis omnes quò plura mererent,
Atque darent Domino conduplicata suo:
Hæc quid designent aliud concessa talenta?
Munera quàm quæ das, donáque, Christe, tuis.
Quidq́; frequens horum notet, indefessus & usus?
Plurima quàm gnavi muneris officia.
Is felix, operi Domini qui fervidus instans,
Exornat Spartam sedulitate suam!
Defectum haut umquam metuet, sed adauctus opimis
Muneribus, Domini plaudet in Axe sui.

Cœna ab invitatis fastidita. Luc: 14.

Omnia caussamur fatui, ne summa vocati
Carpamus Regni commoda, Christe, tui.
Mundanis mundana placent evanida Porcis,
Pauci cælestes & meditantur opes.
Heu mihi! qualis eris, quùm linquere cogeris ista
Vana brevi; & veris abstinuisse bonis.

Persecutio & Spiritus S. Ioh. 16.

Discipulis vivâ prædicit voce Magister,
Pro Christi debent nomine quanta pati.
Nec solùm hoc, verùm Sacram promittit & Auram,
Non ex difficili est vincere cujus ope.
Maxime Christe, tuos non umquam horrebimus hostes,
Igne velis tantùm Nos animare tuo!

Pœna impedientium cursum Evangelii. Act: 13.

Ne posset Christum cognoscere Sergius, omni
Impediisse Elymas hoc ratione studet.
Sed non fert impunè istud: nam lumine captus
Fit miser, & palpat protinus ille manu.
Corporis haut vobis, animi sed Christus ademit
Lumina, qui tantum suscipitis sceleris!

Herodes & Pilatus reconciliati. Luc. 23.

Discordes Rex Herodes, Præsésque Pilatus,
Fortè in amicitiam tunc coiêre novam,
Cùm Christi de morte, umquam nîl tale merente,
Res agitata simul, consiliúmque fuit.
Nunc quoque quàm faciles coëunt in fœdera Reges,
Et Nos perdendi copia si qua datur?

Dura Crux Christi, sed si perfertur, via ad felicitatem. Ibidem.

Sub qua succumbis, Simeon agricultor adactus,
Bajulat ingentem, Christe benigne, Crucem.
At quam fortè paras humeris imponere nostris,
Si tulero adjutus Numine, Christe, tuo,
Tunc ego me dicam Herculeos superasse labores,
Et me felicem térque quatérque fore!

Regius. Ioh. 4.

An tua sit bonitas, an magne potentia major,
Nil equidem possum dicere, Christe, minus!
Qaod numquam ratus est, accepit dona salutis,
Præditus exiguâ Regulus iste fide.

Quod votis ursit, morti vicinus & absens
Sanatur verbo filius ille tuo.
Ergò & nos Christum quin rebus adimus in arctis,
Nostrâ tàm parvâ, difficiliq; fide!

Christus pascens suos. Ioh. 6.

Plurima qui modico saturavit millia pane,
Christus, in insolitis ad juga celsa locis.
Is quoque desertis Vitæ unicus Autor in istis,
Pane pias Animas non pereunte cibat.
Istâ cœlesti qui non contentus es escâ,
Ah! miser æternâ conficiere fame.

Nemo Dominis duobus. Matt. 6.

Nemo potest & Avaritiam unà & amare Iehovam;
His operam pariter nemo locare potest.
Hic jubet in miseris Hominum succurrere rebus;
At surdum ad miseras hæc jubet esse preces.
Hic prohibet cuiquam fallaci imponere fraude;
At nihil hanc æquè quàm dare verba juvat.
Singula ne referam, vitâ jubet optimus omni
Fidere Iova sibi; rebus Avarities.
Ergò quòd usque illis adeò diversa voluntas,
His operam pariter nemo locare potest.

Virtus fidei. Mar. 11.

Esuriente, quòd hac pomum non repperit ullum,
A Christo ficus quùm maledicta foret;
Mira, sed acta loquor! ficus quæ florida densis
Nunc fuerat foliis, aruit absque mora.

Tanta est vis validæ Fidei, miracula tanta,
Vel majora potest edere, magna Fides!

Arcta via Cœli, lata inferni. Luc. 13.

Stricta via est, homines quæ Candida ducit ad Astra,
Ad nigra quæ ducit Tartara, lata via est.
Caussa, quòd est rarus Virtutis amator & æqui,
Quos vitia oblectant, messis ubique Virûm.
At tu Virtutum sis Legis & assecla Christi,
Ingens Astrorum qui cupis esse decus!

Vsus rei benè dispensatæ. Luc: 16.

Est aliquid, mihi crede, Bonis ita pluribus uti,
Vt Fratrum Sanctis usibus illa loces.
Tùm ratione istâ quia conciliantur Amici,
Tùm quia dantur opes hac ratione Deo.
Felix qui talem Bona dispensavit in usum!
Reddita cum multo fœnore plura feret.

